



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Forma examinationis testium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

† al. ita; vel p
† per famā pu
blicē referen
tiam, vel cla
mosā in sinua
tione de ferē
tem.

propter † clamorē famæ laborantis. Ea propter
postquam visum est de quolibet illorum quo
modo incipitur, videatur quomodo mediatur, &
continuatur.

*Modus continuandi processum per
accusationem.*

PRIMVS processus, ille scilicet, qui fit ad in
stantiam partis accusantis, siue accusatoris, cōti
nuatur sic: Nam postquam accusatio est facta
contra aliquem de heresi coram Inquisitore, &
in scriptis est redacta, & in processu pro funda
mento inserta, secundum modum, de quo dictū
est prius, Inquisitor mandabit accusatori, quod
nomina testium producat, quibus productis cita
buntur, & examinabuntur diligenter medio iu
ramento: Et si reperitur quod nihil faciant ad
factum, Inquisitor consulat accusatori, quod de
sistat †, & ipse Inquisitor superseadeat. Si autem
reperitur, quod testes non plene probant,
licet eorum dicta indicia magna faciant, con
sulet Inquisitor accusatori, q̄ amoveat verbū
accusationis, & apponat denuntiationis; vt sic In
quisitor procedat ex officio, & non ad partis in
stantiam propter accusatoris graue periculum:
& sic procedet per modum predictū secundū.
Vbi autem reperitur, quod testes plene prob
bāt, & accusator omnino vult stare in accusatio
ne, & non vult denuntiare, sed accusare: tunc In
quisitor testes productos iudicialiter coram no
tario, & duabus personis religiosis, vel alias ho
nestis, iuxta c. Vt officium, de heret. lib. 6. dilige
ter examinet, iurato primitus ad quatuor Dei
Euāgelia de dicenda veritate, & cōtinuabit sic.

† Vide omni
no q̄ diximus
sup. commen
tario 14. hu
ius partis, sup
1. de primo
modo proce
dendi in cau
sa fidei p ac
cusationem.
§. iam h̄ rem.

Post quā cōsiderans ipse Inquisitor, q̄ prædi
cta hereticalia, de quibus talis est accusatus, sunt
talia, & tā graua quod non potest, nec debet ea
connuentibus oculis pertanfire, & oportet eū
reddere iustitiā accusanti, descēdit ad testes pro
ductos examinando per modum, qui sequitur.

Forma examinationis testium.

TALIS de tali loco testis productus, citatus,
iuratus, & interrogatus si cognoscit talem, *expri
mendo non en accusati*, dixit quod sic.

Item interrogatus de causa cognitionis: dixit
quod pro eo quod vidit, & locutus est cū eo plu
ries, & etiam quia sic, vel sic,
*Exprimat alias causas, vt pote si est de genere suo
vel fuerint socij, & sic de alijs causis cognitionis.*

Item interrogatus de tempore cognitionis: di
xit, quod sunt decem anni, vel tot.

Item interrogatus de fama illius talis, & præ
fertim quo ad ea, quæ sunt fidei: dixit quod quo
ad moralia est homo bonæ famæ, vel malæ famæ,
vt testificabitur. Quantum autē ad ea, quæ sunt
fidei: dixit, quod est fama in tali loco, quod dixit
vel fecit talia contra fidem catholicam; vel quod
est talis sectæ, & eam tenet, & defendit: Vel quia
est bonæ famæ quo ad ea quæ sunt fidei.

A Interrogatus * quid est fama: dixit, quod est
id, quod communiter dicitur.

Item interrogatus si vidit, vel audiuit talē di
centem; vel facientem aliquid contra fidē: dixit
quod sic: talia, &c.

Interrogatus vbi vidit fieri supradicta, vel di
ci, dixit quod in tali loco.

Interrogatus in quorum præsentia sunt dicta,
vel facta supradicta; dixit quod in præsentia ta
lium, & talium.

Interrogatus quotiēs vidit dici, vel fieri supra
dicta, dixit quod totiens.

Item interrogatus de modo, quo talis fecit, vel
dixit supradicta; dixit quod modus fuit talis: nā
& cetera.

B Item interrogatus si attentis omnibus antedi
ctis quæ dixit, vel fecit ipse talis, si videtur ipsi te
sti, quod dictus talis prædicta dixerit, seu fecerit
trufatorie †; seu dixerit † recitatiue: seu animo
indelibato: dixit quod credit, quod fecerit, vel
dixerit supradicta iocose, & trufatorie: seu recita
tiue, & non animo sic credēdi, seu assertiue: Vel
quod dixit animo deliberato, seu assertiue.

Item interrogatus de causa credentiæ: dixit
quod credit pro eo quod ille talia dicebat riden
do, vel sic, vel sic, vel pro eo quia cum super tali
bus reprehenderetur, adhuc perseverabat, & ite
rabat, &c.

Et hoc est multum diligenter inquirendum,
quia nonnulli quandoque dicunt aliqua contra
fidē recitādo aliorum verba, & trufando, & bur
lando, vel disputando, & conferendo, vel inter
dum asserendo, & affirmando, &c.

Itē interrogatus, si hoc deponit odio, vel ran
core: seu dimittit aliquid amore, vel fauore: dixit
quod: &c. *Et sequitur*; iniunctum est sibi tenere
secretum. *Et paulo infra*. Acta sunt hæc in tali lo
co, die tali, mēsis talis, anno tali, in præsentia talium
testium vocatorū, et rogatorū, et mei talis notarij.

D Consimiliter examinentur alij testes omnes.
Quibus examinatis, si Inquisitor viderit factū
esse probatum plene, vel esse maxima indicia, &
suspicionem vehementes contra accusatum; & ti
metur de fuga accusati, vt pote, si accusatus fen
tiat, quod cōtra eum de heresi inquiritur, faciat
eum capi. Si autem non timeat de fuga accusati
faciat eum citari, & accusato coram Inquisitore
personaliter constituto collectis his, de quib. est
accusatus, & his, de quibus est per testes conui
ctus vel habitus suspectus, formet interrogatoria
super illis; & interroget eum, ac inquirat cū eo
dem, habito secum notario, & duabus personis
religiosis, seu honestis, vt dictū est supra; & hoc
per modum, qui sequitur, præstito prius corpo
rali iuramento ad quatuor Dei Euāgelia de di
cenda veritate.

COMMENT. XXXI7

Cum inter ceteras probationes, ea quæ per te
stes fit, magnū habeat pōdus in hoc tribuna
li; præsertim si a fide dignis personis proficiatur:
ideo pars hæc, quæ ad testes attinet, diligētissime et
tra-

tractari debet. et obseruari. ac multas difficultates, qua circa testes oriri possunt, multis persequitur Eymericus hac 7. par. q. 62. & sequentibus. hic vero in examinandis testibus praxim obseruanda tantum demonstrat. de qua re copiose tractant glo. & doctores in c. praesentium. de testib. lib. 6.

Sed hic multa Inquisitores obseruare oportet: ac primum illud est, vt diligenter & efficaciter admo- neant testificari volentes, ne pretio corruptis, prece- vissis, ira vel odio comoti, aut qualibet alia illicita, vel iniusta causa excitati falsum testimonium di- cant. moueant praeterea quam ingens. & atrox sce- lus sit, quem piam innocentem de tam graui & hor- rendo haereticis crimine infamare. ad haec iurare de- bent de veritate dicenda, vt paulo post dicemus, & illa interuenire, qua prudenter iustitiam tradit Eyme- ricus infra nune. o. l. u. g. s. m. primo.

Sed praeter ceteris diu vel testes, vel reos interro- gant Inquisitores hoc cauere debent, ne ita interro- gati, vt suggerere potius responsiones videantur, vel mouere eos qua ratione interrogationis effugere possint, & facilius delicta disiteri, vt optime admo- nit Francisus Casonus in tract. de tormentis. ca. 15. quod qua ratione sit intelligendum, dicam paulo post in commentario sequenti.

Item interrogatus quid est fama, dixit quod est id quod communiter dicitur. A pposite et ve- re formauit responsionem Eymericus: non enim tes- tes super fama deponentes, debent reddere exacta- famam, vel infamiae definitionem, sed satis est eos mo- re vulgi respondere, famam esse publicam quandam vocem, qua de aliquo publice & passim circumfer- tur; aliter enim vix posset fama probari, & testes oporteret esse iurisperitos, vt ait Iulius Clarus in tract. crim. s. in q. 6. verbi. postremo scias.

Sed quid si interrogatus quid sit fama, respondeat se nescire? plane tunc non probaret. ita Hyppolytus Marsilius in l. de minore. s. plurimum. nu. 104. in fi. ff. de questio. quem ceteri Criminalistae commu- niter sequuntur.

Quod dictus talis praedicta dixerit, seu fece- rit trufatorie. Vtce minus eleganti iocum vocat tru- fam, et iocose quid facere vel dicere, trufatorie, ac plurimum quidem refert, vt mox subdit Eyme- ricus) intelligere, an verba haereticalia per iocum & ludum sine prolata, an vere, & animo deliberato.

Et quamuis regulariter dictum, vel factum ioco- sum pena non increatur. l. i. s. diuus. ff. ad l. Corne- liam de scar. l. obligatium substantia. s. vlt. ff. de actio. & obligati. l. sicut semel. C. de liberali cau- sa. c. 1. de senten. excom. notat Paulus Castrens. in l. si seuerior. C. quibus. cau. infam. irrog. id e Paulus & Baldus in l. nemo deinceps. C. de episco. au- diant. In crimine tamen haereticis longe aliter est in- dicandus: nam si quis iocose quippiam dixerit in fi- dem, in Deum, vel in Sanctos, puniendus quidem est. Cardinalis Zabarella in clem. 1. s. nos igitur. in fi- ne. de sum. trini. Nicolaus Arlatanus tract. de he- ret. notabili 28. Francisus Squillacensis tracta. de fide cath. c. 19. nu. 3. in fi. Gondissalvus de haeret. q. 1. nu. 7. Lapus & Cardinalis in clem. vnica. s. sa- meda vsuris. Palacius Rubius in allegatione de ha- ret. s. q. in fine. Simancas de cash. instit. tit. 17. nu

me. 22. & 23. Ioannes Roias, in singularibus fidei singu. 103. & alij.

Num autem puniri debeat per Episcopos, an etiam per Inquisitores, dubitant nonnulli ex praecitatis, sed verior mihi sententia videtur, per Inquisitores esse puniendos, quod voluit Cardinalis, & Ioannes Roias praefatis locis, & Gondissalvus tract. de haeret. q. 8. nu. 6. quibus propterea subscribo; quoniam ex quo quis haereticalia dixit, aut fecit, statim subij- citur Inquisitorum iurisdictioni. explorare autem, an per iocum, vel serio ea sint asserta, ad eosdem quoque Inquisitores spectat.

Sed qua pena puniri debeat qui per iocum profe- runt haereticalia, non est iure cautum: ideoque arbi- trario iudicantis haec relinquuntur. Primum hoc sit exploratum, hos non esse puniendos velut haereti- cos, sed leuius, quia non concurrunt necessaria ad he- resim constituendam, videlicet error in intellectu, & pertinacia in voluntate; nisi qui dicerium, seu iocum protulit, in eo persisteret, veluti si quis iocando diceret (quod est praefatorum frequens exemplum) se habiturum uxorem in alio seculo, postquam in hoc non habuit, ac postea in ea sententia stulta per- seueraret.

Puniuntur ergo pena pecuniaria pijs locis evo- ganda, vt praecitatis locis Gondissalvus & Ioan- nes Roias rescripserunt, vel aliqua poenitentia sa- lutari.

Meminerint tamen Inquisitores poenam esse au- gendam, vel minuendam iuxta qualitatem perso- nae iocantis, loci personarum astantium & audien- tium, & scandali inde orti; qua in delictis coercen- dis sunt obseruanda. c. sicut dignum. de homici. l. aut facta. ff. de poenis.

Modus proferendi dicta eiusmodi, & qualitas persona ad minuendam poenam multum profunt: vt cum repente, celeriter, inconsiderate, ac sine de- liberatione dicta fuerunt, vt saepe contingit. item videndum, an persona etiam sua natura faceta esset, qua proculdubio ea protulit, vt astantibus risum ex- citaret, quamuis ob id non sint haec impunita re- linquenda omnino, quia vt recte scripsit Gerson. p. 2. tractatu vlt.

Non patitur ludum, fama, fides, oculus. Ideoque eos, qui dicta haec petulantia in Deum & Sanctos proferunt, suspectos fieri.

In vris theologis et religiosis haec acrius sunt coercenda, praesertim, si coram laicis haec dicta & facetias proferant.

Genus quoque facietie spectandum est: nam acer- bius puniendus est qui facetias haereticas profert, quam qui scandalosas, erroneas, aut alterius quali- tatis.

Ad haec illud diligenter premonendum est, quod docuit auctor quidam incertus, non tamen imperi- tus nec contemnendus in tract. de forma proceden- di contra inquisitos de haereticis in rubrica de haereti- cis. credentibus, & c. nu. 6. in haec verba.

Si vero dicit quis, ex leuitate, vel ex ira, ioco, & iurbatione, & sine deliberatione docuit, vel dixit aliquid contra fide: tunc ipse reus debet pro- bare praedicta, & perfecte: & Inquisitor debet praedicta diligenter inuestigare, & non det esse facilis

An puniendu per episc. vel inquisitor.

Qua poena coercendi q per iocum proferunt haereticalia.

Ex quib. cau. sus minuat: poena.

Non. e. e. c. e. d. d. u. d. i. c. e. n. t. i. b. u. s. s. e. h. a. e. r. e. t. i. c. a. l. i. a. d. i. x. i. s. s. e. s. e. d. p. e. r. i. o. c. u. m.



ad recipiendum talem excusationem; quia quasi omnes moderni haeretici sic se excusant. Inuenta autem veritate, quantum est possibile, inuenitur quod se non excuset, debet Inquisitor contra eum procedere; si vero inuenitur quod vere se excuset, adhuc dicunt quidam, quod Inquisitor potest eum punire, & debet: quia homo ex leuitate vel loco, vel turbatione verba haeretica non debet proferre contra fidem & bonos mores. habemus ille. Et Dulcinum olim Haresiarcham perfidum hac ratione se excusare voluisse scimus, ut dixi supra parte 2. super q. 14.

Qui verba scripturae facere ad inania, velut Pasquinos, & turpe amoris trahunt, grauius accendendi.
 Postremo, quae de faceretis & faceretis haereticalibus paulo antea diximus, obseruanda quoque putamus aduersus illos, qui verba sacrae scripturae ad iocosa, scurrilia, & inania trahunt, ex his quadoque (ut vulgus loquitur) Pasquillos seu Paschinos componentes, quod est ingens & immane scelus, cuius spiritus sancti verba in ludibrium conuertantur, cuius sceleris patatores per Episcopos grauius coerendos iubet concilium Tridentinum sessio 4. in fine. vers. post haec temeritatem.

His adiungendi amantes, qui passim etiam solae scripturae sacrae verba ad sua trahere desideria ut persuadeant: & ceteri vani homines & impostores qui ut sua facilius persuadeant, contortis scripturae testimonijs nefarie vtuntur: in hoc emittit Inquisitor, aut saltem proculdubio Episcopi animaduertere possent.

Seu dixerit recitatie.) Quoniam qui refert aliorum haereses, nisi dolo malo & fraudulenter faciat, puniendus non est: secus tamen dicendum, si recitauit approbando & laudando: quod quandoque fit a perfidis & malis hominibus ex industria, quibus non debet prode se hoc refugium si dicant, se recitantes eas protulisse, argumento l. qui iniurie. ff. de furt. tradit Simacas de cath. instit. tit. 17. n. 18.

An autem per dolum, aut sine dolo recitate sint haereses, circumstantiae rerum, & qualitas personarum recitantium facile commoustrabunt. animaduertant autem iudices fidei, vsitatum esse a tutorum haeticorum imposturam, dicendum (ut se tueatur) se recitando tantum, non approbando, nec predicando haereses protulisse, quibus non est facile credendum: & si hanc excusationem attulerint, eam probare debent, ut paulo antea ostendimus in iocante.

His praeterea quales poena imponi debeat, & de huiusmodi qualitas, & incommoda inde orta, & scandalum excitatum, docebunt.

Postremo obseruandum est, recitari posse quandoque aliorum haereses sine dolo, non tamen sine culpa ac imprudentia nota, ut docuit Emericus par. 1. q. 10. nu. 5. nam qui disputando coram rudibus, aut concionando coram his, qui nihil contra fidem audierunt, recitant ad inanem quandam ostentationem haeticorum dogmata: quantum sine dolo id faciant, aut sine culpa interdum non faciunt; & propterea ne amplius id fiat, inhibendum est ab Episcopo. saepe enim compertum est, multos lapsos fuisse in eas haereses, quas audierunt recitari; quod ego quandoque contigisse scio.

Seu animo indeliberato. Hoc est, (ut nostri loquuntur) per lubricum linguam, nam qui per faci-

A lem & indeliberatum linguam lapsim inconsiderate haeresim proferunt, nec haeretici sunt, nec puniendi videntur: quia lubricum linguam non facile ad rem nam trahendum est. l. famosi. ff. ad legem Juliam de iest. l. 1. c. si quis imperat. maled. 2. q. 1. ca. quod autem ait, ita Zanchinus tract. de haeret. c. 7. nu. 9. Sed Lopus & Cardinalis in clem. vnica, de iuris vis, non esse inultum relinquendum delictum per lubricum linguam commissum, tradunt. & hoc qui sequuntur extraordinarie puniendos scribunt, sicut per Albericus tract. de agnos. assert. q. 3. nu. 10. Gonsalualuus tract. de haeret. q. 1. nu. 7. & quillacensis tract. de fide cath. c. 19. nu. 3. in fine. Ioannes Roiter tract. de haeret. par. 1. nu. 66. & Canpegus apud Zanchinum. c. 7. vers. non ex proposito.

B Erat autem haec poena pecuniaria in pios vsus eroganda, aut alia leuius, consideratis illis circumstantijs, quas cum agerem paulo antea de haeresibus per totem diebus obseruandas.

Illud hoc loco addendum, multum esse poenam minuendam, aut nullam penitus instigendam eius qui vim correxit quod per linguam lubricam temere effudit: reprehendendus est autem grauius, & animo mendans, ut precaueat in futurum.

Hac qua proxime diximus de proferente haeresim animo indeliberato seu per lubricum linguam, loquimur quoque habere poenam in illis qui per iram, seu calorem iracundiae aliquid verbum haeticum proferunt. Zanchinus tract. de haeret. c. 7. nu. 9. Gonsalualuus de haeret. quest. 8. numero 6. & alij, de quorum poena pauca quaedam dixi infra super q. 103. S. Rursus Inquisitores, & faciant quae lae tradit Tiraquellus tract. de poenis temperant. aut remittent. causa. 1.

De eo vero, qui cum esset ebrius, haereses protulisset, quidam, an cessante ebrietate, ut haeticum puniri debeat, cum is videatur in ebrietate proferre, quod antea mente conceperat; ac proinde censetur in priori proposito perdurare: sed benignius & verius est, ebrietatem ab haesi excusare; nec puniendum, qui dum vere ebrius esset, haeticum; nam perinde de eo censendum est, ac de furioso & mentis capto. c. a crapula. de vita & honesta. clerici. re spiciendum. §. delinquit. ff. de penis. l. omne delictum. §. per vitium. ff. de re milit. tradit eleganter Zanchinus tract. de haeret. c. 7. nu. 10. vbi valde prouidenter adiungat, ebrios propter praecedentem culpam cessante ebrietate, corrigendos.

Hec vero de ea ebrietate sunt accipienda, quae otio nimo mente priuauit: nam si modica fuerit, coerendus est qui deliquit, ut optime scripsit Bar. in d. l. respiciendum. §. delinquit. de penis. et Canpegus apud Zanchinum capi. septimo, vers. sic. aliquantulum corrigi.

De dormientibus, quod interdum contingit haeticalia proferre: idem iudicandum putamus, quod de vere ebrijs paulo antea diximus: horum enim nihil est tunc animi iudicium, cum sensus sine penitus ligati, & dormientes furiosis equiparantur. l. 1. §. adipsos. ff. de acquiren. possessio. & propterea ne puniendi quidem, cle. vnica, de homici. vbi Ludunus, & Cardinalis Florētinus q. 6. traditque eleganter Tiraquellus tract. a. de poenis temperantibus aut

Qui per lubricum linguam

ant remitten. causa 5. nu. 2. & seq.

In ceteris vero qui vel propter atate decrepita iam delirant, vel propter atatem prematuram et tenerram quid loquantur, non intelligunt, ac denique ob alias quasunque causas ineliberato animo hereticalia proferunt & impia, puniendi non sunt, hos enim omnes consilij, & prudentia inopia, tum in hoc tribunali, tum in ceteris a penis commissorum delictorum tuetur, atq; ex his, nisi fallor, remanet locus his satis apertus, & clarus: est enim insignis, nec fuit illo modo omittendus.

Quibus examinatis si Inquisitor viderit factum esse probatum plene, vel esse maxima indicia, &c. faciat eum capi. *Hic locus, si quisquam alius est, valde insignis, prudentia plenus, & multum Inquisitoribus considerandus, ne temere in tanta graui causa ad capturam reorum accedat, hac vero Emerici doctrina apertis iuribus nititur, quam uis ipse iura non citet.*

Ergo in hoc articulo, de capiēdo reo hac sunt obseruanda. Primum enim de delicto constare debet, vel indicia aliqua habere oportet per secretam inquisitionem a iudice factam, aut alijs modis: quia nunquam est in criminalibus a captura reorum inchoandum. *Nullus in carcerem, l. si ubi Bartolus, Baldus, & Salycetus, C. de exhiben. reis, l. nemo, C. de exacto. tributo. lib. 10. Baldus in l. quod euitandi, nu. 2. C. de codic. ob turpem caus. Salycetus in l. absentē, nu. 9. C. de accusatio. copiose & vere suo more Antonius Gomez, tom. 2. varia. resolut. cap. 9. num. 1. Iulius Clarus in pract. crim. §. vlti. q. 24. Joannes Roias tract. de heret. par. 2. asserti. 1. nu. 2. & seq. Albertinus de agnos. assertio. q. 32. nu. 21. & ceteri communiter.*

Rursus, ubi denuntiationes & indicia rite scripta fuerint, reus citari debet verbaliter per nuntium, aut per literas ut se si fiat coram Inquisitoribus; sed si recessus, aut fuga timeatur, tunc ommissa verbali citatione statim est ad citationem realem, hoc est ad personalem capturam deueniendum: ita scribunt omnes præcitati, et probat apertissime textus in d. l. nullus, C. de exhiben. reis, & in l. fina. C. de custo. reorum, & l. ff. eodem tit. Salycetus in l. nullus, & in l. absentē, C. de accusat. Angelus tract. de malef. verbo, iudex commisit. Marsilius in pract. crimin. §. constante, in principio, & alijs, & dixi plenius inf. nu. 131.

Hæc res, ut breui cuncta complectar, in hoc tribumali hoc ordine conficitur: ubi ex testimonijs & delicti qualitate visum fuerit delatos esse huius criminis reos, Fiscalis petit ab Inquisitore, ut rei comprehendantur, is vero protinus habito peritorum consilio, quid factu opus sit, deliberat; & si plusquam semiplenis probationibus reos conuicti viderit, eos comprehendendi iuber. *Simancas de catho. insti. tit. 44. nu. 12. idem in enchyridio tit. 25. nu. 1. & 2. Ioannes Roias tract. de heret. par. 2. assertio. 1. nu. 12. et seq. atq; hæc est tutissima procedendi ratio, præscripta etiam Inquisitoribus. Hispanie Madriliana quadam instructione anno MDLXI. c. 3. in hæc verba a nobis latine facta: Inquisitores visa informatio ne simul si præsens fuerint, deliberent de captura, qua magis iusta videretur, si fieret cum consilio*

alio consultorum eius inquisitionis, si commode fieri posset, & videretur Inquisitoribus conueniens & necessarium, & quod decretum fuerit in actis referatur. *hæc ibi.*

Dixi vero, habito consilio peritorum: non nunquam solus Inquisitor decernere possit, ut rei personaliter capiantur, clem. 2. §. propter quod, de heret. securius tamen est, & tutius, ut rem tantam maturo consilio peritorum aggrediatur, cum enim hoc delictum sit grauissimum, & ex sola captura non modice fama ledatur, non facile decernendum est, ut rei capiantur. *Eymericus hoc loco valde prudenter hæc intuitus, aut plenam probationem delicti, aut maxima indicia, aut vehementes suspensiones præcedere debere capturam asserit: nam ex leuibus suspicionibus nusquam est ad eam deueniendū, ut monui supra in 2. parte, super c. excommunicamus. §. ceterum, cetera huc spectantia copiose tradidi infra super q. 59.*

Modus interrogandi reum accusatum.

TALIS de tali loco, delatus prædictus iuratus ad quatuor Dei Euægelia corporaliter tacta, tam de se, quam de alijs dicere veritatem, & interrogatus unde est, seu unde originem trahit: Respondit, quod de tali loco, talis diocesis.

Item interrogatus, qui sunt eius parentes, & si sunt viuis, vel mortuis: Respondit, quod vocatur taliter, & quod sunt viuis in tali loco, vel mortui.

Itē interrogatus ubi fuit nutritus, & ut in pluribus conuersatus: Dixit quod in tali loco, vel tali. Et si videat Inquisitor quod mutauit locum proprium, & conuersatus fuit in alieno, & præsertim in locis, in quibus consueuerunt hæreses vigere, interrogabit eum sic.

Item interrogatus quare mutauit locum suæ natiuitatis, & se transtulit ad commorandum in tali loco, vel talibus: Dixit quod ex tali causa.

Et secundum responsiones formabuntur articuli quousque ad propositum veniantur.

Itē interrogatus si in dictis locis, vel alibi audiuit loqui de tali materia, exprimendo materiā, de qua est accusatus: ut pote si audiuit loqui de paupertate Christi, vel Apostolorum, seu de visione Beatorum, &c. Et si dicat, quod sic; interrogetur diligenter, quid audiuit loqui de materia antedicta, & scribantur eius responsiones. dixit, &c.

Item interrogatus, quid ipse super hoc aliquando est locutus, respondit, & dixit, &c.

Item interrogatus, quid ipse credit super hoc quod, &c. dixit.

Et sic prudens Inquisitor interrogabit & formabit sibi articulos secundum materiam, de qua est accusatus, & de qua per testes est conuictus, vel suspectus habitus, taliter ut veritas habeatur. *Qua confessione perfecta scribatur paulo post: Acta sunt hæc in tali loco, &c.*

Et si videat Inquisitor, quod plene de hæresi est conuictus per testes, vel confessione propria deprehensus, vel negat, sed est conuictus vel multum suspectus, capi eum faciat, & includi ad custodiā, de capiēdo

Quando de. tur mandati